

praebendae et cuilibet iuri¹⁾), quod sibi in praefato monasterio competere videbatur, praefatus vero dominus praepositus ipsum dominum Th. ab obedientia absolvi humiliter petentem sine strepitu absolvet, in absolutionis testimonium suis litteris sibi datis. Praeterea praenominatus dominus praepositus et conventus eidem domino Th. in omnem eventum dabunt viginti et sex marcas Vribergensis argenti Lipcensis ponderis in terminis infra scriptis, sex marcas solvent eidem in festo sancti Michaelis proximo nunc venturo et decem marcas in festo beatae Walburgis proximo et in festo pentecostes decem marcae residuae persolventur, ad cuius pecuniae solutionem dominus praepositus una cum priore vel qui pro tempore fuerint et domino Joh. de Holzbusen et Con. de Stedelen fratribus eiusdem ecclesiae se sub poena suspensionis ab ingressu templi, quam ex tunc sicut ex nunc in ipsos ferimus, obligarunt, quam pecuniam dominus praepositus cum praefatis dominis promittet iuniori sculteto et Martino et Wal. de Grimmis burgensibus in Lipzk in iam dictis terminis, quod absit si ipsum dominum Th. mori contigerit, persolvendam, et haec pecunia solvi debet in evidenciam solutionis nostro nuntio assistente. In cuius rei testimonium hanc litteram nostro sigillo fecimus communiri. Haec acta sunt praesentibus canonicis nostrae ecclesiae supradictis et domino Bartholomaeo custode anno domini M^o.CC^o.LXXX. IX^o. sequenti die sancti Bartholomaei apostoli pontificatus nostri anno septimo.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Siegel des Bischofs an einem Pergamentstreifen.

1) Or. *quolibet iure*.

No. 33. 1290. 20. Febr.

Heinrich Scholasticus der Mersburger Kirche in Gemeinschaft mit andern gewillkürten Schiedsrichtern entscheidet über die von dem Cleriker Johannes wider das Kloster erhobenen Rechtsansprüche auf die Angermühle.

In nomine domini amen. Cum nos Henricus Mersburgensis ecclesiae scholasticus iudex a venerabili domino H. Mersburgensi episcopo delegatus praesideremus iudicio in ambitu ecclesiae nostrae in causa, quam Johannes clericus filius Ottonis de molendino sito iuxta sanctum Jacobum contra dominum P. praepositum sancti Thomae et suum conventum in Lipzk, in quo sibi ius hereditarium asseruit pertinere, ipso Jo. clerico coram nobis personaliter comparente, praeposito vero et suo conventu per procuratorem comparentibus videlicet per dominum Albertum dictum de Tuch custodem sancti Thomae, nos cum omni diligentia ut decebat partes hortabamur et rogavimus, ut amicabiliter concordarent. Qui nostris monitis annuentes in personas III^{or} compromiserunt, in honorabilem dominum Th. praepositum Mersburgensem, in dominum H. canonicum Mersburgensem, in magistrum Hermannum praefati praepositi capellanum et in nos ipsum, retenta nobis nihilominus iudiciaria potestate, se fide nobis corporali praestita obligantes nec non iuramento proprio astringentes, quidquid per nos quatuor de causa mota ordinaretur, se firmiter ac inviolabiliter servaturos. Nos itaque deliberatione habita causam totaliter extinguere cupientes decrevimus ordinavimus unanimiter et iussimus, Johannem clericum ab omni actione, si qua sibi